

adhibetur in describendo illo divinisimo oraculo, quo se DEVS Israelitis manifestavit, haud praeter rem foret auguri, etiam in illo VRIM et THVMML significatam fuisse doctrinae de Messia integritatem unitatem et simplicitatem, quam velut unice salvificum mysterium Sacerdos summus, tanquam Sacrorum praeses custodire et illibatam tueri debeat. Quando illa vox occurrit Deut. XXXIII, 8. cum judicio reddiderunt LXX. Interpretes per αληθεαν, ut idem sibi esse testarentur *integrum et simplex*, quod *verum* et cum norma verbi divini conforme. De quo momento pluribus non vacat disquirere, cum nobis sufficiat vocem απλότητας denotare simplicitatem, puritatem ac veritatem doctrinae fidei, tanquam illud primum, fundamentale et causale bonum, a quo omnia reliqua bona derivabantur, quae Paulus divinitus in Corinthiorum ecclesiam collata videbat. Admittimus hic et FLACIVM, qui *Simplicitatem in Christum pro simplici sinceraque fide*, dici fatetur, in Clave Scripturae p. 1173. Nec abibunt facile in alias partes, nisi quibus volupe forte est, omnes quaerere latebras, num possint evincere, non tam ad puritatem doctrinae quam pietatem vitae esse respiciendum, quorum error uti fatis periculosus, ita in hoc nostro dicto capitali vulnere profligatur.

VII.

Et sane si rem expendamus, απλότης summa in doctrina Paulina, qua Corinthii erunt hactenus instructi, reperiebatur. Epistolarum ad eos scriptarum biga, tanquam epitome et monumentum eorum, quae in conversatione ac praedicatione inter ipsos exposuerat, edocere nos uberrime potest, de quibus articulis et quomodo de illis eos erudierit; Nisi quis aperte coecitatem in veritatis odium mentiri voluerit, dabit hoc nobis haud illibenter, eum non modo,